

§. IV. Scilicet ex voluntate & potestate Legislatoris tantum oritur proprie obligatio, quando in ipsa re vel objecto nihil est quod obligationem pariat, sed sola voluntas Legislatoris tō verum esse legis largitur, id quod obtinet quando leges positivæ circa merè indifferentia versantur. Potest tamen etiam tum à voluntate aut rectius potestate Legislatoris lex, vim ac robur suum obtinuisse dici, quando quidem fundamentum obligatorium in rebus ipsis deprehenditur, ipsi tamen ex Sanctione Legislatoris proximius & recentius vinculum superadditur, id quod fit, quoties præcepta vel Juris Naturæ, vel divina positiva repetit Legislator atq; promulgat. Ex quo tamen facile liquet non quodcunq; individuum humanum hujus qualitatis moralis capax esse sed istud demum, quod unà cum imperio gaudet potestate condendi leges, & obligandi eos qui ditione ejus subjecti sunt. Plane DEus quo magis rerum omnium stator est atq; arbiter, eo magis attribuendum illi jus præcipiendi vetandi cum plenissimo obligationis effectu.

§. V. Objectum circa quod versatur Jus seu lex, sunt actiones; non quæcunqve, sed hominum, nec tamen in universum omnes, sed liberæ potissimum, quæ virtutis & vitii decori & indecori capaces sunt. Substant tamē & huic directioni actiones necessariae, non quidem quatenus tales, sed quatenus & ipsæ virtutis & vitii, decori & indecori capaces sunt. v. c. edere bibere &c sunt actiones necessariae subjacent tamen & hæ directioni legum quatenus sc: ita cibo ac potu uti debemus, uti honestas & salus reip. exigit. Circa has actiones tam liberam quam necessarias justis & injustis capaces ita versatur jus seu lex, ut illas præcipiat has vero vetet, ita, ut quot legem agnoscere tenentur, eidem & morem gerere, nec quicquam in fraudem ejus facere debeant: Alias ubi hoc munimine lex destituitur, ne legis quidem nomen obtinet atq; meretur.

§. VI. Cum quoq; nullum in natura rerum agens existat, quod non respiciat certum suæ actionis finem non
B
gens